

per ultimum finem, quilibet deliberatè agens intendat ultimum finem, si non explicitè in se, saltem implicitè in sui inchoatione. Quidam vocant hanc secundam intentionem virtutalem, interpretativam, sed improprie; datur enim altera strictè, & proprie interpretativa, quæ sequitur. Melius ergo hæc secunda intentio virtualis dicenda est virtualis implicita; prima autem, quæ est ex vi prioris intentionis explicitæ, dicitur virtualis explicita.

Interpretativa intentio, proptèr distinguitur a virtuali 2. modo, dicitur, non quæ sit, aut fuerit de facto, sed quæ præbet fundamentum existendi quod foret, si de fine cogitaretur, quatenus scilicet ex dispositione, & modo operandi subjecti iudicatur, & præsumitur aliquem sic volitum, si adverteret, vel casus occurreret: v. gr. qui dat elemosinam pauperi, quem sub veste peregrina credit extraneum, & tamen est propinquus, dicitur interpretativè voluisse dare propinquo; quia præsumitur, quod libentius dedisset propinquo, si cognovisset.

Habitualis intentio, seu relatio dicit puram concomitantiam habitus alicujus cum actu absque ullo influxu, sive actuali, sive virtuali, in actum: ut si justus dormiens recitaret preces, aut sui potens peccaret venialitèr, dicitur ista referre habitualitèr in Deum propter concomitantiam habitus charitatis. Undè differt, ut patet, habitualis intentio ab actuali, & virtuali. Differt etiam ab interpretativa; quia habitus præcisè ut informans potentiam est tantum inclinatio in actu 1. & quoad specificationem actus solam; indiget intentione, & dictamine, ut in actum exeat, & de se comparatur intentionem, & dictamen in oppositum, ut patet in justo peccante venialitèr. Undè præcisè ut talis non inducit præsumptionem, quod agens tale quid, vel tali intentione ageret, nisi aliunde in acquisitione hujusmodi habitus per actus, ex prima intentione elicitos, remaneat aliqua virtus seu determinatio, vi cuius agat; sed tunc reindicit cum virtuali primo modo, & non est purè habitualis. His paululum immorari libuit, quia per totam fermè Theologiam currunt. Sint ergo dicta senèl pro semper, & firmitèr memoria teneantur.

Dico: Quæcumque homo vult deliberatè, ea vult actu vel virtutè propter ultimum finem. (Hic art. 6. a.) Prob. 1. Quidquid appetit homo, appetit sub ratione boni: ergo quæcumque vult deliberatè, ea vult actu vel virtutè propter ultimum finem. Prob. Conseq. Illud, quod appetit sub ratione boni, vel appetit ut summum & perfectum plene satiativum, & sic est ultimus finis; vel appetit ut minus perfectum tendens in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, & ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam, quæ est ultimus finis ergo. Vide prænotamina. (Ibid.)

Prob. 2. Sic se habet ultimus finis in movendo appetitum, sicut prima causa efficiens in movendo alias causas secundas ad agendum; atqui causæ secundæ non movent, nisi moveantur a prima: ergo finis secundarij, seu secundæ appetibilia non movent appetitum nisi dependentèr a primo appetibili, quod est ultimus finis. (Ibid.) Neque dici potest, quod in omni actu appetitur finis ultimus ut ratio volendi, non ut res volita; non potest enim finis esse ratio volendi, nisi sit in se volitus, sicut lux non est ratio videndi cætera, nisi in se videatur.

Sed petes, quis sit iste finis ultimus, quem homo intendit in omni actu deliberato, an materialis, an formalis? R. aliquando esse materiale, & in concreto, aliquando esse formale, nempe beatitudinem in communi: nec plus evincunt rationes D. Thom. Ità Silvius, Serra, Contenson, & alii contra Joannem a S. Thom. & Gonet: eaque responsione facilius solventur difficultates, aliunde multum implicatæ, ut patebit ex seq. Undè

Solvuntur objectiones.

Ut itaque redeamus ad difficultates præcedentis Articuli: Justus peccans venialitèr habet pro fine proximo creaturam, seu voluptatem aliquam particularem: Infidelis, seu peccator, agens aliquod bonum opus morale, habet similiter pro fine proximo honestatem istius operis: uterque autem habet pro fine ultimo esse beatum, seu beatitudinem ut sic appetitū satiativum. Et hinc solvantur difficultates. Nam sequitur. 1. Peccatum veniale justum non evadere mortale, quia iste communissimus finis beatitudinis ut sic, utpotè necessariò amatus, & de se indifferens, ut applicetur objecto honesto vel turpi, nullam tribuit actui honestatem, vel malitiam.

Sequitur 2. Neque justum peccantem venialitèr, neque Infidelitèr, aut peccantem facientem aliquod bonum opus morale habere duos ultimos fines totales; quia finis ille communis non ponit in numero cum particulari, scilicet Deo aut creatura; sed se habent ut quo, & ut quod, sicut abstractum, & concretum, quæ non ponunt in numero, nec censentur absolutè plura.

Sequitur 3. Neque peccantem, neque infidelitèr peccantem in suis operibus moralitèr bonis; quia, ut dictum est, iste finis communis de se non tribuit bonitatem, ut militiam actui, sed est indifferens, & potest determinari aliq. fine vel particulari honesto, cui si nulla prava circumstantia admisceatur, acutus erit moralitèr bonus.

Inst. Juxta prænotamina, & rationes D. Thom. Infidelis, ut peccator, aliquod bonum opus faciens, intendit virtualitèr finem ultimum in particulari, nempe seum; quia intendit li- quod bonum, quod est participatio divinæ bonitatis, in qua ideo virtualitèr tendit: ergo saltem illi habet duos fines ultimos. R. ex prænotaminibus & rationibus D. Thom. nihil aliud scilicet, quam quod Deus sit finis ultimus hujus operis, non simpliciter, & absolutè, sed ultimus secundam quid, & in ea serie tantum, finis autem, simpliciter, & absolutè ultimus, est Beatus ut sic.

Inferes: ergo saltem creatura non remanet finis ultimus materialis hujus Infidelis, seu Peccatoris, quia ad ipsum non fertur istud bonum opus morale: finis autem ultimus est ad quem omnia referuntur. R. hoc opus bonum referri ad creaturam ut ad finem ultimum, eo modo quo est finis ultimus est autem finis ultimus respectu hujus operis habitualitèr tantum, & ita habitualitèr tantum referunt ad ipsum materialeiter consideratum; referri autem habitualitèr, ut diximus, nullum n- portat influxum, sed tantum concomitantiam habitus. Nunc repugnat finem habitualitèr ultimum permittere, aut pati li- quem motum præter aut contra se: sicut, v. gr. permanentia- bituali dispositione lapidis deorsum, potest moveri sursum: virtualitèr autem istud bonum opus referunt ad ultimum finem formalem, scilicet Beatitudinem ut sic, quæ ut dictum est non ponit in numero cum ultimo fine materiali, sive bono sive malo.

Obj. 2. & simil. instabis: Nemo potest intendere ultimum finem formalem in communi, nisi intendat aliquem ultimum finem materiale in particulari: ergo. Prob. Ant. Eo modo finis intermedius dependet ab ultimo fine in movendo voluntatem, quo causæ secundæ pendet a prima in influendo; atqui causa secunda non influunt in effectum nisi dependentèr a causa prima in singulari: ergo. R. N. Ant. Ad probationem, D. Maj. Eo modo finis intermedius dependet ab ultimo fine in movendo voluntatem, quo causæ secundæ pendet a prima in influendo, servato tamen modo efficiendi utriusque causæ. C. Maj. Non servato modo efficiendi utriusque causæ, N. Maj. Porro idus agendi causæ efficiens est per influxum physicum in effectum singularem, qui influxus non procedit a causa in communi, sed singulari, quia actiones sunt suppositorum, & existentium; subindèque singularium; modus vero agendi causæ finalis est moralis, in hoc consistens, quod media sui apprehensione alligat voluntatem. Sicut ergo intellectus potest apprehendere beatitudinem in communi, ita voluntas ad illam anhelat in omni actu: Quoniam veram est, inquit Aug. 13. de Trinit. c. 5. quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcumque appetunt.

Repones: Intentio est appetitus efficax finis, & illius ut futurum, & obtinendum respicit; atqui appetitus efficax non potest ferri in rem communem, & abstractam a subjecto, sed in rem ut in subjecto, in quo reverà existere potest, vel existimatur posse existere: ergo. R. D. Min. Appetitus efficax non potest ferri in rem communem abstractam a subjecto ea arte, qua est efficax, C. Min. ea parte, qua est inefficax, N. Min. Appetitus igitur Beatitudinis ut sic non est omnino, & simpliciter efficax in nostro casu: non enim, v. gr. Justus peccans venialitèr intendit efficacitèr totam suam, & completam beatitudinem in hoc actu, vel per hunc actum venialitèr malum; sed ex naturali inclinatione, quam habet ut sit beatus, ferat in hanc rem ut in quandam participationem, & derivationem totalis hujus beatitudinis, quam in omni casu incessantèr querit, licet eam totam non intendat in hoc actu particulari, sed desiderio partim per illum expleto, in alia desideria erumpit, donec omninò compleatur. Undè talis intentio, qua parte est efficax, ferat in aliquam rem particularem; qua parte autem est inefficax, in rem communem.

Obj. 3. & simil. instabis. Sæpè appetimus bona particularia absque cogitatione, & appetitū ultimū finis in communi: ergo. R. D. Ant. Absque cogitatione, & appetitū ultimū finis in communi expresso, & explicito, C. Ant. implicito, & tacito, N. Ant. hoc ipso enim quod bonum particulare explicitè appetimus tanquam portionem, & inchoationem nostræ felicitatis, virtualitèr, & implicitèr illam appetimus; quia, juxta principium S. Thom. inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem illius.

Obj. 4. Si omnis actio esset propter finem ultimum, nullus daretur actus otiosus; falsum Consequens: ergo, & Ant. R. D. Maj. Si omnis actio esset propter finem ultimum materiale

& particularem honestum, nullus daretur actus otiosus, transeat Maj. si esset propter ultimum finem formalem, & communem, N. Maj. Quia, ut dictum est, cum iste finis necessariò ametur, & sit indifferens ut applicetur objecto bono vel malo, nullam tribuit acibus bonitatem, vel malitiam, & ideo semper actus ille est otiosus, qui caret debito fine materiali. Et si dicas, non esse otiosum amare beatitudinem, R. esse otiosum & inutile illam querere per actus, qui non habent piam utilitatem vel justam necessitatem, quæ sunt conditiones, quas requirunt SS. Patres, ut actus non sit otiosus. Dixi insuper: Transeat Maj. Quia actus non solum est otiosus ex defectu finis, sed etiam ex aliis circumstantiis, puta, si quis in aliquo actu aliunde bono nimis immoretur, aliis prætermissis, quibus debet intendere.

Inst. Homo est liber circa ultimum finem formalem: ergo non amat illum necessariò: ergo potest non agere propter illum. R. D. Ant. homo est liber circa ultimum finem formalem libertate contradictionis & exercitii, Transeat Ant. Libertate specificationis, N. Ant. Dato enim, quod homo possit suspendere omnem actum circa beatitudinem in communi, supposito tamen quod velit aliquod bonum particulare, necessariò vult in ordine ad beatitudinem, saltem virtualitèr & implicitè, cum

sit inchoatio, & participatio illius. Inferes: ergo homo, dum peccat, intendit Deum, & propter illum operatur. Prob. illatio. Appetit bonum, quod est participatio bonitatis divinæ, scilicet ipsius beatitudinis in communi: ergo.

R. N. Illationem. Ad probationem, D. Ant. Appetit aliq. bonum particulare secundum se præcisè, N. ut vestitum malitia morali, C. ut sic autem non est ordinatum, & referibile ad Deum, sed ab eo aversum: undè N. Conseq.

Petes 1. Utrum omnes homines conveniant in ultimo fine? (Hic art. 7. o.) R. Omnes homines convenire in ultimo fine formali, quia omnes appetunt suam perfectionem, & bene esse: non autem conveniunt omnes in ultimo fine materiali, seu in re, in qua ratio beatitudinis invenitur: quidam appetunt divitias ut bonum consummatum, quidam voluptates, quidam vero quodcumque aliud; pauci Deum, qui solus est res verè beatificans.

Petes 2. Utrum omnes aliæ creaturæ conveniant in vero fine materiali hominis? R. Omnes convenire in vero fine ultimo qui hominis, scilicet Deo: Quia universa propter semetipsum operatus est Dominus. Non conveniunt autem in ultimo fine quo, quia Deus non possidet nisi per actus intellectus & voluntatis, quorum aliæ creaturæ sunt expertes. (Ib. art. 8. o.)

DISSERTATIO II.

DE BEATITUDINE.

D. Thom. QQ. 2. 3. 4. & 5.

Dissertatione præcedenti diximus de ultimo fine generalitèr; nunc dicendum de speciali ultimo fine hominis, qui est Beatitudo. Definitur a Boëtio 3. de Consol. Status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ab Auctore, (Q. 2. art. 8. o.) Bonum perfectum, totalitèr quietans & satians appetitum, scilicet rationabilem & ordinatum. Duplicitèr considerari potest, objective, & formalitèr. Beatitudo objectiva est res illa, in cuius possessione appetitus quiescit. Formalis est ipsa hujus rei adeptio, & possessio: sic divitiæ sunt beatitudo objectiva avari, earum possessio beatitudo formalis; eo modo quo diximus de fine qui & quo: & ista distinctio, ut etiam ibidem diximus de fine, non est in duas beatitudines, seu duos ultimos fines, sed in duas formalitates, seu partes integrantes unam totalem beatitudinem; non enim res ipsa beare potest nisi possideatur, & possessio non est possibilis sine re possidenda. Quæritur ergo 1. in quo consistat beatitudo objectiva hominis? 2. In quo formalis consistat? 3. Quandò habeatur? 4. De proprietatibus ejus. Et est questio de Beatitudine supernaturali Patriæ, ad quam homo est servatus.

ARTICULUS I.

In quo consistat Beatitudo hominis objectiva?

Dico: Beatitudo objectiva hominis consistit in solo bono increato, scilicet Deo. (Hic quest. 2. per 8. art.) Prob. 1. auctoritate. Ps. 15. Propheta dicit: Dominus pars hereditatis meæ. Ps. 72. Quid mihi est in Cælo, & a te quid volui super terram? Subdit: Pars mea Deus in eternum. Ps. 102. Qui replet in bonis desiderium tuum. Ps. 16. Satiabor, cum apparueris gloria. Undè Aug. de moribus Ecclesie c. 8. Bonorum summa Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum vobis est, neque ultra querendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est. Et l. 5. Conf. c. 3. Infelix homo, qui scit illa (bona creata), et autem nescit: Beatus autem qui scit, etiamsi illa nesciat: qui verò & te & illa novit, non propter illa beatur, sed propter te solum beatur.

Prob. 2. ratione. (Ibid. art. 8. o.) Solum bonum increatum potest satiare appetitum hominis: ergo solum bonum increatum est beatitudo objectiva hominis. Patet Conseq. ex definitione beatitudinis. Prob. Ant. Solum omne, & universale bonum potest satiare appetitum hominis; atqui solus Deus est omne, & universale bonum: ergo. Min. est certum, tùm ex illo Exod. 13. Ego ostendam omne bonum tibi; tum quia omnia bona creata sunt participata a Deo. Prob. Maj. Objectum voluntatis est omne, & universale bonum, sicut objectum intellectus, ad quem sequitur voluntas, est omne & universale verum: ergo solum omne, & universale bonum potest satiare appetitum hominis.

Dices: Ex hac ratione sequitur, quod objectum voluntatis nostræ sit bonum universale in prædicando: Deus autem non est

bonum universale in prædicando, sed in essendo. Prob. Sequela. Eo modo ex dictis objectum voluntatis nostræ est bonum universale, sicut objectum intellectus est verum universale: atqui objectum intellectus est verum universale in prædicando, & per abstractionem: ergo. R. N. Sequela. Ad probat. D. Maj. Objectum voluntatis nostræ est bonum universale, sicut objectum intellectus est verum universale, ita ut sit paritas quoad rem tantum, C. Maj. Ita ut sit paritas quoad statum, & modum rei. N. Maj. Non est ergo sensus, quod, sicut intellectus fertur in suum objectum sub statu abstractionis, ita voluntas fertur in suum objectum sub statu abstractionis. E contra in hoc differunt intellectus & voluntas, quod intellectus fertur in res abstractas a singularibus, quia sic sunt intelligibiles; voluntas verò in res ut existentes, quia sic sunt assequibiles. Sensus est ergo, quod, sicut objectum adæquatum intellectus non est hoc vel illud verum, sed omne omninò verum, ita objectum adæquatum voluntatis, non est hoc vel illud bonum, sed omne omninò bonum. Deus autem est omne omninò bonum, continens omnes bonitates creatas ut participationes sui.

Prob. 3. (Per tot. q. 2.) Discurrendo per omnia bona creata. Beatitudo hominis non consistit in ullo bono creato: ergo in solo bono increato. Prob. Ant. Bona creata sunt triplicis generis, scilicet bona externa, seu fortunæ, bona corporis, & bona animæ; atqui nullum ex his constituere potest beatitudinem objectivam hominis.

Non bona fortunæ, quæ sunt divitiæ, honor, fama, & potestas. (Ibid. art. 4. o.) Quia non permanent, sed facilièr elabuntur. 2. Non excludunt omnia mala, sed sunt bonis & malis communia. 3. Non plene satiant; quod enim plus abundant, eò plus desiderium incendunt, juxta illud tritum: Quod plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ. 4. Non sufficient; ea enim habentibus plura alia necessaria deesse possunt, ut sapientia, sanitas &c. 5. Ex eis potest malum alicui provenire, ut experientia patet: hæc autem omnia verè beatitudini repugnant. 6. Tandem ab exterioribus causis proveniunt; beatitudo verò hominis acquiritur per principia interiora, scilicet intellectum, & voluntatem.

Non bona corporis. (Ibid. art. 5. & 6. o.) Vel enim bonum corporis intelligitur conservatio in esse, seu ipsum vivere, & hoc non potest esse beatitudo hominis & ultimus finis, quia homo ordinatur ad aliud tanquam ad finem; non enim homo est summum bonum, sed est propter aliquem finem creatus. Et dato quod beatitudo consisteret in esse hominis, esse animæ est principalius esse corporis; esse enim hominis consistit in corpore & anima, esse autem corporis pendet ab anima, non esse animæ pendet a corpore. Insuper tam istud bonum corporis, quam alia, quæ pendet a corpore, ut sanitas, pulchritudo, rubor, voluptas, & alia hujusmodi sunt instabilia, sunt bonis & malis, imò brutis communia, quin etiam bruta in horum pluribus præcellunt homini, ut cervi in velocitate, leones in



robore, &c. millant etiam alia rationes, quas protulimus contra bona fortuna.

Non bona animæ: (*Ibid. art. 7.*) 1. Non ipsa anima in se considerata, sic enim est in potentia, puta, ad scientiam & ad virtutem: cum autem potentia sit propter actum sicut propter complementum, impossibile est, quod id, quod est secundum se in potentia existens, habeat rationem ultimi finis. Non alia, quæ pertinent ad animam, ut sunt potentia, actus, vel habitus etiam virtutum; quia hæc sunt accidentia, & bona finita ordinabilia ad Deum tanquam ultimum finem: & quantum ad virtutes, pertinent quidem ad felicitatem, sed ut via ad terminum, via autem distinguitur a termino. Item felicitas est præmium virtutis: ergo virtus non est ipsa felicitas. Tandem virtus non satiat appetitum, sed rectificat tantum.

Obj. Appetitus hominis est finitus: ergo potest saturari bono finito. R. D. Ant. est finitus in essendo, C. in appetendo, N. sic enim est finitus sine categoriam, quia non tot appetit, quin possit plura appetere in infinitum, cum, ut dictum est, ejus objectum sit bonum universale: unde non saturatur nisi bono infinito.

Inst. Appetitus humanus saturatur per beatitudinem formalem finitam, nempe per visionem Dei a se elicitam: quidni per beatitudinem objectivam finitam? R. Disparitatem animæ, quod appetitum finitum in essendo repugnet actuari per formam infinitam a se elicitam, ideoque illam non appetit; non autem repugnat terminari ad objectum infinitum.

Repones: Si appetitus humanus esset infinitus in essendo, non exigeret nisi objectum infinitum: ergo, cum sit finitus in essendo, aliquid minus exigit, quam objectum infinitum, consequenter finitum. R. D. Ant. Si appetitus humanus esset infinitus in essendo, non exigeret nisi objectum infinitum, infinito modo attingendum, C. Ant. finito modo attingendum, ut nunc attingit, R. Ant.

Replicabis: Appetitus humanus non saturatur attingendo Deum finito modo: ergo vel non exigit bonum infinitum, vel illud attingere debet infinito modo. Prob. Ant. Homo, cognoscens Deum finito modo, appetit illum cognoscere perfectius, & perfectius, consequenter infinito modo; sicut, qui cognoscit objectum creatum, appetit cognoscere perfectius, & perfectius in infinitum: ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. Ant. ad paritatem, disparitas est, quod cognoscere Deum infinito modo sit impossibile creature, appetitus autem beati, cum sit rectus, non fertur ad impossibile; qui vero cognoscit objectum creatum imperfectum, potest appetere cognoscere perfectius, & perfectius usque in infinitum, quia sic potest cognoscere.

Urgebis: In beatis, alter est altero beatorum visione Dei inæquata: ergo, qui minus perfecte videt Deum, non saturatur, sed desiderat videre perfectius, R. N. Conseq. Quia, cum plus illi non debeat, non plus appetit. Sic, qui minus famet, minus manducat, & tamen saturatur sicut ille, qui plus famet, & plus manducat. Sic iterum parvus homo æquè contentus est breviori veste, sicut homo grandior ampliori.

Instans: Qui possidet Deum, adhuc alia desiderat, v. gr. glorificationem corporis, salutem parentum, quasdam ultiores cognitiones, &c. ergo Deus non est objectum plene satiationis. R. D. Ant. Qui possidet Deum, adhuc alia desiderat consequenda vi ipsius possessionis Dei, C. Ant. non consequenda vi possessionis Dei, N. Ant. ad cuius sensum D. Consequens: ergo Deus non est objectum plene satiationis formaliter & immediate, Transeat; virtualiter, seu radicaliter, N. vi enim possessionis Dei Beatus certo habebit, quæ desiderat, & eo tempore pro quo desiderat. Unde de sui desiderio adimplentione securus, & quasi jam possidens, sine anxietate, & sub beneplacito Dei quiescit; sicut verum mater, Deum possessum plene satiare appetitum, sive per se formaliter & immediate, sive radicaliter, & mediate per suas proprietates. Immo posset etiam dici, quod formaliter & immediate per se satiet, & ideo dixi: Transeat Consequens; quia, cum quæ desiderat Beatus, eminentiori modo contineatur in Deo, quam sunt in se, potest dici, quod possessione Dei formaliter, & immediate omne desiderium beati sit satiatum quoad intensionem, extensivè autem dumtaxat protendatur ad quasdam leves appendices ipsius beatitudinis. De hoc iterum infra.

Utrum Deus ut Unus sit sufficiens objectum ad nos beatificandum, ita ut si latere ut Trinus, subsisteret perfecta beatitudo hominis? Resolvimus negativè in 1. part. Diss. 4. art. 10. Require.

## ARTICULUS II.

In quo consistat essentialiter formalis Beatitudo hominis?

Posito quod Beatitudo objectiva hominis sit Deus, sequitur, quod Beatitudo ejus formalis sit assecutio Dei. Quæritur ergo hic, per quid homo assequatur Deum, & consequenter in quo consistat essentialiter formalis Beatitudo hominis. Circa

hanc Questionem varia sunt Theologorum placita. Quidam Beatitudinem hominis formalem reponunt in quodam illapsu divinitatis in essentiam animæ: tribuitur Henrico Gandavensi. Quidam in habitu deficiente essentiam animæ: & perficiende potentiam ad operationem: tribuitur S. Bonaventuræ in 4. D. 49. art. 1. q. 1. n. 5. Quidam in intellectione Dei increata, ita Magister Bonæ-Spei, & ipsum sequentes Carmelites Calceati in Belgio. Quidam in solo actu voluntatis, scilicet vel amore amicitia, ut vult Scotus; vel fruitione, ut volunt alii. Quidam in actibus intellectus, & voluntatis simul, ita plures ex Societate. Alii tandem in solo actu intellectus, ita Thomistæ cum suo Doctore hic q. 5. Et hæc sunt celeberrime circa præsentem difficultatem Sententiæ.

Supponimus hic ex dictis in 1. p. Diss. 4. de visione Dei, intellectum creatum, adjectum lumine gloriæ, posse videre Deum, eumque de facto videre immediate in se, sine specie impressa vel expressa.

### §. I. Tres priores Sententiæ exploduntur.

Dico 1. Beatitudo formalis hominis non consistit essentialiter in quodam illapsu, & quasi transfusione Dei in ipsam essentiam animæ, neque in habitu deficiente essentiam animæ, & perficiende potentiam ad operationem, sed in operatione aliqua elicita (*Hic q. 3. art. 2. o.*)

Prob. 1. auctoritate. Scriptura Beatitudinem nobis exprimit per operationem. Matth. 5. *Beatitudo cordis; quantum ipsi Deum videbunt.* Joann. 17. *hec est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.* Et alibi. Conformiter loquuntur SS. Patres, Nazianzenus, Ambrosius, Aug. & alii. Accedit definitio Benedicti XII. qui postquam statuit animas, quibus nihil desit purgandum, statim visuras divinam essentiam, eaque fruendas, subdit: *Quod tali visione... sunt verè Beati.*

Prob. 2. ratione. Deus non illabitur in essentiam animæ nisi producendo in ea, vel esse, vel gratiam sanctificantem; atqui in hoc illapsu non consistit essentialiter Beatitudo hominis, alias omnes creature, in quibus Deus producit, & conservat esse, aut saltem omnes viatores justis, & anime in Purgatorio, in quibus ultra esse quod conservat, producit fidem, spem, charitatem, & gratiam sanctificantem, forent beate Beatitudine essentiali: ergo. Prob. Maj. Deus non est præsens rebus nisi per operationem, ut diximus in 1. parte; atqui nihil potest operari in essentia animæ nisi ejus esse, vel aliquam qualitatem supernaturalem, quæ non potest esse alia, quam gratia sanctificans, hæc enim sola residet in essentia animæ; alia, ut Fides, Spes, Charitas, in ejus potentia: ergo.

Prob. 3. alia ratione. (*Ibid.*) Beatitudo formalis est ultima hominis perfectio assecutiva ultimi finis; atqui ultima perfectio hominis non est per modum habitus aut potentia, sed est actus & operatio: ergo. Prob. Min. Nihil perfectum est prout in potentia & actu 1., sed prout in actu 2., cum actus 1. ordinatur ad 2.

Confirmatur. (*Ibid. ad 2.*) Beatitudo formalis hominis est vita, ut constat ex Scripturis cit. & infra dicemus; non substantialis, sic enim vivit homo substantialiter per informationem animæ: ergo accidentalis. Subsumo; atqui vita est aliquid motus a vivente procedens, quod utique ad operationem, & actum secundum pertinet, de quo fusius infra: ergo.

Dico 2. Beatitudo formalis non consistit in visione Dei increata, communicata creature per actionem unitivam ab ipsa creatura elicita, ut vult Bonæ-Spei cum suis, qui opinionem Joannis de Ripa jam antiquatum nostris temporibus suscitavit.

Prob. 1. ex D. Th. quem suum esse voluit Spani. S. Th. hic q. 3. agens de Beatitudine formali, quærit art. 1. An Beatitudo nostra sit aliquid creatum? Et respondet sic: *Si Beatitudo hominis consideretur quantum ad causam vel objectum, sic est aliquid increatum. Si autem consideretur quantum ad ipsam essentiam, seu formam Beatitudinis, sic est aliquid creatum.* Quid sit autem istud creatum? Art. 2. Respondet. *Quod sit operatio.* Art. 3. *Quod sit operatio intellectiva parit.* Art. 4. in arg. s. c. & in o. *Quod sit cognitio Dei, quæ est actus intellectus.* Art. 5. *Quod sit operatio maxime propria homini, scilicet contemplatio divinorum.* Art. 7. *Quod non consistit nisi in cognitione Dei.* Art. 8. *Quod non potest esse nisi in visione divine essentie.* Ergo a primo ad ultimum secundum D. Th. Beatitudo formalis est visio divine essentie, quæ est creatum illud, quod Art. 1. dicit esse ipsam essentiam, & formam Beatitudinis. Idem docet 1. p. q. 26. art. 3. expressis terminis, & pluribus aliis locis, ita ut cœcum esse oporteat, qui hanc sententiam in D. Th. non videat.

Prob. duplici ratione fundamentalis. Prima sic proponitur. Beatitudo formalis est vita Beatorum, seu operatio vitalis, quæ in actu 2. vivit; atqui non possunt vivere per visionem Dei increatam, quantumvis ipsi communicatam per actionem unitivam

tivam a se elicitam: ergo. Major videtur de fide, juxta hæc Scripturæ loca, Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Joann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.* Difficultas ergo est in minori. Itaque prob. Min. (1. p. q. 18. art. 1. o.) Impossibile est quidpiam in actu vivere per actum vitalem, qui non sit ab ipso, sive ab intrinseco; atqui visio Dei increata non est a Beatis, sed a Deo, imò ab ipso Deo indistincta: ergo. Prob. Min. 1. Ex communi omnium sensu, juxta quem vivere est se movere ex se, seu ab intrinseco; & ea dicuntur mortua, quæ non se movent amplius, licet ab intrinseco moveantur. 2. Vivere in actu est actu agere, & operari; atqui implicat quidpiam agere per actionem, quæ non sit ab ipso per formalem, aut virtutalem egressionem: ergo. Minorem hanc negant adversarii contra communem sensum, & dicunt aliquid posse denominari agens, saltem ut quod, per actionem alterius præcisè in se receptam, modo pro priori ad receptionem sit activum in eodem genere, & capax denominationis agentis, eaque actio sine violentia in ipso recipiatur. Et hoc est eorum fundamentum. Sed contra. Probatur ista Min. 1. Actio, etiam non violenta, solum denominat agens illud, a quo est, non illud, in quo est præcisè, quantumcumque in priori sit activum ut quo in eodem genere; actus autem aliena solum dicitur esse ab eo, a quo egritur, non ab eo, in quo præcisè recipitur sine violentia, quantumcumque in priori nature sit activum in eo genere: ergo. Minor patet, quia fingere aliquid esse ab aliquo per receptionem est aperte contra notionem terminorum disputare, & confundere rationem essendi ab aliquo cum ratione essendi in aliquo; siquidem huc usque inauditum fuit, subiectum receptionis, seu in quo actio aliena ab extrinseco recipitur, esse subiectum a quo. Prob. ergo. Maj. Actio solum denominat agens illud, respectu cuius est actio ut actio, proit ex terminis patet; atqui non est actio ut actio respectu ejus in quo est præcisè, sed respectu ejus a quo est, ut docent omnes Philosophi apud D. Thom. 3. physic. c. 3. Lect. 4. & 5. discrimen actionis a passione constituitur in eo, quod actio sit actus agentis tanquam *hujus ab hoc*, ut loquitur Philosophus; passio vero actus patientis tanquam *hujus in hoc*: sicut doctio non dicitur docentis, quia in ipso, sed quia ab ipso est; nec denominatur docens ille in quo, sed a quo est doctio, nec ille in quo recipitur, sed a quo traditur Doctrina: ergo. Prob. 2. ista Min. Agere est se habere activè, & non merè passivè, ut constat ex terminis; atqui id, a quo actio nullo modo est per egressionem formalem, ut virtutalem, sed in ipso merè ab extrinseco recipitur, etsi sine violentia, & tanquam in activo ejusdem generis, nullo modo se habet activè hic & nunc ad illam actionem, sed merè passivè: ergo. Prob. Min. Quod se habet activè, se habet per modum dantis; agere enim est dare esse, & non per modum merè recipientis; atqui id, a quo actio nullo modo est, &c. non se habet per modum dantis, sed per modum merè recipientis, ut patet in terminis: ergo. Prob. 3. ead. Min. Si ratio adversariorum sufficeret, ut aliquid denominaretur agens, sequeretur, quod canis, quem, impositum dorso meo, defero, ex hoc diceretur agere, seu se habere activè ad lunc motum Falsum Consequens: ergo.

2. Ratio fundamentalis: Operatio, in qua consistit Beatitudo formalis, nempe visio Dei, constituit Beatos actu, & formaliter operantes: ergo. Prob. Min. Operatio, maxime vitalis, & immanens, non potest constituere aliquem actu, & formaliter operantem, nisi quatenus procedit ab operante, ut effectus a causa, vel nisi informer illum per modum cause formalis; atqui repugnat, intellectionem Dei increatam, aut procedere ab intellectu Beati ut effectum a causa, aut eum informare per modum cause formalis: ergo. Major est certa; operatio enim est aliquid operantis, & ad ipsum pertinet, cum ipsum constituat actu operantem: non est autem aliquid ipsius, aut ad ipsum pertinet ut prædicatum ejus intrinsecum, aut pars integralis, aut existentia, aut complementum intrinsecum, quia sine operatione esse potest operans, seu operativum intrinsecè completum, & integrum, & modo hanc, modo illam operationem habere: ergo restat, quod ad eum pertinet, vel ut effectus, vel ut causa formalis; non est enim alius modus assignabilis, quo operatio ad operantem pertinet. Insuper, cum cognitio sit actus vitalis, & immanens, constituit ipsum operantem intrinsecè in se actuatam, & reductam de potentia ad actum; atque ei præbet aliquam speciem operationis, & consequenter informat ipsum: sicut v. gr. albedo, aut calor, quia sunt formæ specificæ, id est, speciem determinatam præbentes, non per terminationem, sed per informationem veram, debent subiectum afficere. Itaque (3. p. q. 9. art. 1. ad 1. & q. 26. de verit. art. 1. o.) prob. Min. Et quoad primam partem est plus, quam evidens; visio enim Dei increata non potest esse

effectus Beati. Prob. quoad 2. partem. Informatio, seu causalitas formalis essentialiter involvit intrinsecam imperfectionem: ergo. Prob. Ant. De ratione formæ informantis est, quod per conjunctionem suam ad alterum reducat formaliter illud de potentia ad actum, & sic constituat unum tertium, sive substantialem, sive accidentalem, quod sit majus ipsa forma, seu actu informante: totum enim est majus sua parte; adeoque quod admisceatur potentialitati, & ex tali conjunctione limitetur; atqui hæc omnia involvunt intrinsecam imperfectionem: ergo. Patet Min. Prob. Maj. Omnis forma informans est pars respectu totius, quod constituit, & informatio ad hoc ordinatur, ut formetur, & perficiatur id, quod informare est, seu formatione indigens: ergo de ratione formæ informantis est, quod per conjunctionem suam ad, &c.

Dices: Talis informatio, & actuatio poterit suppleri a Deo modo eminentiori, seclusa imperfectione; sicut supplet substantiam creatam in unione hypostatica. Sed contra. Implicat concipi rem constitutam, & formatam, nisi per informationem formæ, quia, si non est informatio formæ, non est effectus ejus formalis, adeoque nec res formata, seu constitutiva: si ergo Deus non informet, nec actuat constituendo rem, seu aliquid tertium, & ipsum subiectum reddendo intrinsecè actuatam, & formatam, hoc ipso non habetur effectus formalis formæ (qui est ipsa forma informans, & communicata) & res non est constituta: quod si res supponatur constituta, constituetur per alium, & illud habebit rationem formæ. De subsistentia paritate dicemus in soli Obj.

### Solvuntur objectiones contra 2. Conclusionem.

Obj. 1. ex D. Thom. S. Doct. 3. contr. Gent. c. 51. sic ait: *Oportet, quod, si Dei essentia videatur, per ipsam essentiam intellectus ipsam videat, ut sic in tali visione divina essentia sit id, & quod videtur, & quo videtur;* atqui id, quo aliquid videtur, est visio: ergo secundum D. Thom. Beati videtur Deum per ipsam divinam essentiam, seu ejus visionem increatam. R. D. Min. Id, quo aliquid videtur, est visio; si ly, id quo, sumatur pro eo quod se tenet ex parte potentia, C. si ly, id quo, sumatur pro eo quod se tenet ex parte objecti, nempe pro specie intelligibili, qua, tanquam semine, & imagine objecti, fecundat intellectus visionem eliciti, N. Min. Porro S. Thom. loco cit. dum dicit divinam essentiam esse id quo ipsa videtur, intelligit de ipsa specie intelligibili, cujus vires supplet divina essentia, ut diximus in 1. p. non autem de ipsa intellectione Dei. Itæ se explicat S. Doct. c. 53. seq. his verbis: *Ad hoc quod intellectus aliquis creatus Dei substantiam videat, oportet quod divina essentia copuletur ei, ut intelligibilis species;* hæcque distinctione solvet omnia loca, quæ congrunt Adversarii ex D. Thom.

Obj. 2. illud 1. Cor. 13. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum,* utique a Deo; atqui a Deo cognoscimur cognitione increata: ergo cognoscemus tunc Deum cognitione increata. R. N. Conseq. neque enim necesse est, inquit Damasc. 3. Orth. Fide 26. *Exempla prorsus esse similia; nam, quod ex omni parte simile est, idem est, non exemplum.* In hoc ergo Apostolus facit paritatem; quod, sicut Deus nos cognoscit, sicuti sumus in nobis, ita nos cognoscemus cum, sicuti est in se, & non amplius per species, & in ægimate sicuti nunc; quod patet ex his, quæ immediate præmiserat Apostolus: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmatibus, tunc autem facie ad faciem.* Alia quædam loca ex Scripturis afferunt Adversarii, sed quæ parum urgent, utpotè que intelliguntur, vel de lumine gloriæ, vel de divina essentia, ut gerentes vires speciei intelligibilis, non de ipsa visione. Unde his superse demus.

Obj. 3. ex Aug. 1. 8. c. ult. de Trinit. ait: *Secundum eandem visionem Deus bonus est, & beatus, secundum quam apparuit mundis corde;* atqui Deus non est bonus, & beatus visione creata: ergo. Et infra subiungit, quod *sola visio beatificata est summum bonum, cujus adipiscendic causa præcipitur agere, quidquid ratione agimus.* R. Utrobique sermone esse de visione beata objective sumpta, seu de objecto ipsius visionis; non verò de ipsa visione formali.

Inst. Aug. 1. 7. de Trinit. c. 6. & 7. probat dilectionem, qua diligimus proximum, & Deum, esse ipsam Dei charitatem, & ipsum Deum; ergo pariter visio beatifica est &c. R. Quod dilectio nostra sit charitas Dei participativè, seu causaliter, non formaliter; quia charitas, qua formaliter diligimus Deum, & proximum, est quedam participatio divina charitatis. Hic etiam modus loquendi consuetus est apud Platonicos, quorum dictis imbutus fuit Aug. quod quidam non advertentes, ex verbis ipsius sumpserunt occasionem errandi. Itæ S. Th. 2. 2. q. 23. art. 2. ad 1.

Repones: secundum istam solutionem Deus non deberet dici simpliciter charitas, vel dilectio, sed *charitas mea dilectio mea,*



sicut dicitur, *spes mea, patientia mea*; atqui hoc impugnat Aug. 17. de Trin. c. 6. R. D. Maj. Deus non deberet dici simpliciter charitas, sed &c. si charitas esset solum donum creatum, sicut spes, & patientia, C. Maj. si sit insuper quoddam attributum formaliter in Deo existens, N. & hoc sensu recte negat Augustinus Deum debere dici *charitatem meam*, sicut dicitur *spes mea, patientia mea*, quia istae virtutes sunt tantum dona creata, & non attributa in Deo formaliter existentia, sicut charitas.

Replicabis: Charitas beatorum, etiam minimorum, est major charitate viatorum etiam sanctissimorum, juxta illud Matth. 11. *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista; qui autem minor est in regno caelorum, major est illo*; atqui hoc verificari non potest de charitate creata, cum incredibile sit minimum beatorum superare in charitate creata maximum viatorum: ergo solum verificari potest de charitate increata. R. D. Maj. Charitas beatorum, etiam minimorum, est major charitate viatorum etiam sanctissimorum quoad intentionem habitus, N. non enim est verisimile, quod infans statim post baptismum mortuus habeat tantam intensiorem gratiae, & charitatis, quantum habuerunt B. Virgo, & sanctissimi homines in via. Quoad conditiones status, C. quia in patria obiectum amatum est praesens; status, cum sit terminus, est perfectior; actus est permanentior, & habitus non potest amitti. Locus autem Matth. non est ad rem, his enim verbis se ipsum designavit Christus: unde sensus est: ego, qui sum Joanne minor etate, & secundum multorum opinionem sanctitate, in regno caelorum, id est, in Ecclesia, sum major illo, & natura, & sanctitate, & donis &c. Ita SS. Hilar. Chrysost. Aug. Cajet. & communiter Interpretes.

Obj. 4. Increata Verbi substantia unitur naturae creatae, eamque reddit formaliter subsistentem: ergo a pari visio Dei increata potest uniri intellectui creato, eumque reddere formaliter operantem. R. N. Conseq. Disparitas est 1. Quod intellectus sit actus vitalis, adeoque essentialiter petat esse ab intrinseco, vel per identitatem, & egressionem virtutalem, si identificetur in operante ut in Deo, vel per egressionem formalem, si distinguatur ab operante ut in creatis: substantia autem neque est actus, neque vitalis, sed purus terminus reddens rem alteri incommunicabilem. 2. Intellectus, cum sit operatio, est informativa potentiae operantis, & per modum partis efficiens unum totum cum illa, non secus ac albedo informat corpus constituendo album, quod involvit imperfectionem. De ratione autem substantiae secundum se non est informare, quia non constituit ut pars unum totum in natura, sed supponit naturam constitutam, & eam tantum terminat. Unde, cum ex suo essentiali conceptu nullam involvat imperfectionem, potest suppleri a Deo.

Inst. 1. De ratione substantiae creatae est, quod dimanet a subsistente; atqui substantia increata potest supplere munus ejus terminandi sine tali imperfectione: ergo similiter visio increata potest supplere munus visionis creatae sine ejus imperfectionibus. R. D. Maj. De ratione substantiae creatae, quae substantia, est emanare, N. ut sic enim est tantum de ratione ipsius terminare naturam, & reddere eam ulteriori supposito incommunicabilem: de ratione substantiae creatae, quae creatae, est emanare, C. Maj.

Subsumes: atqui similiter non est de ratione intellectus ut sic, esse ab intrinseco, & informare, sed tantum quatenus creatus est: ergo stat paritas. Prob. Subsumptum: intellectus in Deo neque egreditur ab intrinseco, neque ipsum informat: ergo. R. N. Subsumptum. Ad Prob. N. 1. partem, seu D. Intellectus in Deo non egreditur ab intrinseco formaliter, C. quia identificatur cum illo: Virtualiter, N. est enim verè ab intrinseco. Ad 2. probationem similiter D. Non informat formaliter, C. eminenter, N. est enim identificata cum Deo, ubi autem est summa identificatio, vacant processio formalis, & informatio. At respectu naturae extrinsecae, quaecumque identificari non potest, si illi communicari debeat, necesse est, quod illi communicetur juxta naturam vitalis operantis, scilicet per egressionem ab intrinseco, & per informationem.

Repones: Intellectus, secundum D. Thom. non petit essentialiter esse ab intrinseco per formalem, aut virtutalem egressionem, neque informare in esse naturae: ergo. Prob. Ant. ex verbis S. Doctoris 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. *Intelligere, inquit, importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quaedam in intellectu nostro*: ergo. R. N. Ant. ad Prob. ex S. Thom. dico, sensum ejus planum esse, quod comparatione facta intelligentis ad rem intellectam nulla sit ratio originis, sed tantum informatio intelligibilis, quod admittimus; non autem dicit, quod comparatione facta intellectus ad intelligentem nulla sit ratio originis.

Obj. 5. Intellectus creatus actuari potest, imò de facto ad-

tuatur actu increato in ratione speciei intelligibilis, ut diximus alibi: ergo pariter actuari potest per eundem in ratione intellectus: R. N. Conseq. Disparitas est, quod species intelligibilis non petat ex natura sua neque esse ab intrinseco, neque informare, aut constituere per modum partis incomplete aliquid totum in esse naturae, ut intellectus; sed tantum representare intelligibiliter obiectum intellectui, & ipsum determinare ad elicendum actum, in quo nulla est imperfectio, aut informatio entitativa: ista enim species, cum nihil aliud sit, quam ipsum obiectum representativè, seu in esse intelligibili, non est actualitas accidentaliter potentiae, sed res ei extrinseca, ad cuius esse intelligibile trahitur intellectus.

Inst. Species intelligibilis dat speciem actui, seu agenti, non secus ac operatio: ergo. R. D. Ant. Dat speciem actui, seu agenti obiectivè determinando, seu terminando, C. Ant. entitativè informando, N. Ant. Cum enim species, ut dictum est, sit ipsum obiectum in esse intelligibili, obiectum autem sit terminus extrinsecus, juxta cuius speciem determinatur specificatio actus, ideo illa actuatio, seu informatio obiectiva, quam imprimit in potentia, & se habet ut forma determinans, id est, trahens ad communicationem alterius rei in esse intelligibili ipsam potentiam, & cognitionem, non autem ut informans per modum partis.

Repones: De ratione speciei est, quod inheret, & informat, cum sit species accidentaliter: ergo. R. De ratione speciei est, &c. entitativè considerate, seu quatenus est accidens, C. Considerata in esse intelligibili, & representativè, seu quatenus est species, N. Ut sic enim habet tantum esse imago, & representatio obiecti, adeoque tantum terminare, & determinare, seu obiectivè, & in esse intelligibili informare intellectum.

Replicabis: De ratione speciei intelligibilis, etiam ut species, est quod informat potentiam unum constituendo cum ipsa: ergo. Prob. Ant. Species intelligibilis fecundat intellectum, & se habet ut principium illius influxus in suum actum: ergo. R. N. Ant. Ad prob. D. Ant. Species se habet ut principium se tenens ex parte obiecti, C. Se tenens ex parte subjecti, seu potentiae, N. Licet enim species ut accidens inheret subjecto, ut dictum est, ipsa tamen ut species, cum sit ipsum obiectum representativè, non inheret intellectui, nec entitativè informat illum; est enim quid ipsi extrinsecum; sed tantum determinat intellectum ad talem actum, se illi communicando, non ut partem, sed ut totum in esse intelligibili, seu representativo, ita ut non fiat unum entitativè cum intellectu, sed e contra intellectus dicatur fieri res intellecta in esse intelligibili. Operatio autem se tenet ex parte subjecti ut actus secundus ejus, adeoque informans illum, & constituens entitativè operans.

Urgetis ex dictis, & solutione data: operatio est actus secundus, adeoque ultimus potentiae: ergo informat tantum terminando, & non entitativè ut pars, sicut patet, v. gr. in existentia, quae, cum sit terminus ultimus in essendo, informat tantum terminando: ergo. R. N. Cons. & paritatem: disparitas est, quod existentia supponit naturam constitutam, & eam ut pars non constituit, est enim ultimus actus, quo res jam formata ponitur de facto extra causas: operatio autem non supponit potentiam in actu constitutam, & formatam; sed ut perfectio accidentaliter ipsam format, & constituit operantem actu.

Obj. ultimum: In sententia Thomistarum Deus supplet verbum, seu speciem expressam in Beatis; atqui verbum, seu species expressa est terminus vitalis: ergo poterit Deus similiter supplere operationem vitalem. R. D. Maj. Deus supplet verbum, seu speciem expressam quoad processionem, originem, & dictionem, N. Quoad representationem per modum termini representantis in esse intellectus, C. Cum enim Deus supplet verbum, seu speciem expressam, non facit, quod verbum sit originatum vitaliter a nostro intellectu, hoc enim suppleri non potest; nec hoc requiritur, sicut requireretur, quod faceret, ut actio a me vitaliter procederet, ut dicere, operari per illam, ut probatum est: sed facit tantum, quod essentia sua loco verbi representet per modum termini seipsam. Unde ad Min. D. Verbum est terminus vitalis respectu illius, a quo procedit, C. Min. Respectu illius, cui communicatur praecise, N. Nec hoc requiritur ad intellectionem, sed sufficit, quod in se vitalis existens, etiam aliunde, communicetur ei, & suppleat representationem termini vitalis, non processionem.

§. II. *De posterioribus sententia impugnantur, & vera assertitur.*

Supposito, quod Beatitude hominis formalis sit in operatione ab ipso elicita, ut probatum est; converteritur nunc, quae sit ista operatio, an intellectus, an voluntatis, an utriusque simul.

Certum (*Hic q. 3. art. 2. o.*) namque est, non esse operatio-

tionem partis sensitivae, cum purus spiritus, qualis est Deus, sit extra obiectum illius, ut patet ex his, quae diximus in 1. part. dum probavimus Deum non posse videri oculo corporeo quantumvis elevato & glorificato.

Ante resolutionem observandum est, Beatitude posse considerari dupliciter, quantum ad statum, & quantum ad essentiam. Quantum ad statum complectitur omnia, quae hominem efficiunt plene beatum quoad animam & corpus, omnesque ejus potentias; & sic importat amorem, visionem, fructum, gaudium, perpetuitatem, impeccabilitatem, gloriam corporis, &c. definiturque a Boëtio: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Quantum ad essentiam importat tantum id, quod inter haec omnia primum concipitur, quo summum bonum, seu beatitudo obiectiva acquiritur, & est radix unde cetera assignata profluunt. Sic homo, quoad statum spectatus, dicit non solum rationalitatem, sed omnes proprietates a rationalitate manantes, visibilitatem, facultatem admirandi, loquendi certam membrorum quantitatem, colorem, proportionem, &c. Quoad essentiam verò praecise & metaphysicè consideratus, dicit solum rationalitatem, ut quod in eo primum concipitur tanquam radix & causa ceterorum. Quaestio haec igitur est metaphysica de ipsa beatitudine quoad quidditatem & essentiam. Et semper praecise habendum est, essentiam beatitudinis formalis nihil aliud esse, quam assecutionem beatitudinis obiectivae, quia est id, quo obiectum beatificans unitur subjecto beatificabili. Et ideo illa actio constituit essentiam beatitudinis formalis, quae est formaliter assecutiva ultimi finis: quae verò concomitantè vel consequenter se habent ad illam, sunt ejus proprietates & ornatus, atque ad ejus statum pertinent.

Dico 1. Beatitude formalis non consistit essentialiter in pluribus actibus, scilicet intellectus & voluntatis. Prob. Beatitude formalis est essentialiter prima assecutiva ultimi finis; atqui id uni tantum operationi competere potest: ergo. Prob. Min. Plures operationes diversarum potentiarum, scilicet intellectus & voluntatis, non possunt aequè simul procedere a suis potentis, sed in eis necessarè intervenit ordo prioritatis & posterioritatis; actus enim voluntatis subordinatur actu intellectus & illum supponit, cum nihil sit volitum quin praecognitum: ergo non possunt isti duo actus esse aequè simul assecutivi ultimi finis, sed unus prius altero, nempe actus intellectus, qui prior est & potior actu voluntatis.

Si dicat, quod utraque operatio concurrat partialiter ad assecutionem finis, ita ut ex utraque integretur una totalis prima assecutiva. Sed contra. Vel illa partialitas se tenet ex parte rei possessae, quae unico actu possideri non potest, sed pars per unum, & pars per alterum; vel ex parte operationum, quae divisim non sufficienter reddere rem illam possessam & consecutam. Primum dici non potest, quia res possessa est Deus indivisibilis & impartibilis. Et hinc secundum etiam dici non potest; quia res indivisibilis, per unam operationem quovis modo atracta & possessa, tota attingitur & possidetur quoad substantiam, ita ut si duplex operatio concurrat ad ejus assecutionem, necessaria una erit tantum ut preparatio, altera ut consecutio formalis, vel una ut consecutio formalis, & altera ut novus modus consequendi & possidendi, quod non impedit quin prius verè & substantialiter possideatur: sicut v. g. dum manibus crumenam teneo, verè & substantialiter illam possideo; quod autem illam & dentibus & pedibus possim tenere, non facit novam essentialem & substantialem possessionem, sed tantum novum modum possidendi. Sic igitur, dum actus mentis Deum possideo & assequor, verè essentialiter & substantialiter illum totum assequor & possideo; & dato, quod eum etiam actu voluntatis possim assequi, non addit essentialem conceptum assecutionis, sed tantum novum modum assequendi. Insuper, quod difficultatem plane dirimit, probamus conclusionem sequenti, actum voluntatis non esse assecutionem.

Confirmatur conclusio: Cum beatitudo obiectiva sit obiectum perfectissimum, beatitudo formalis illius assecutiva debet esse operatio perfectissima; atqui non possunt esse duae operationes perfectissimae assecutivae obiecti beatifici: ergo. Prob. Min. vel enim illae operationes distinguuntur specie, & sic non erunt ejusdem perfectionis, sed una perfectior altera; vel numero tantum, & sic una est superflua ad assecutionem, cum enim sit ejusdem perfectionis & virtutis, una non plus conducit ad assecutionem, quam altera.

Dico 2. Beatitude formalis non consistit essentialiter in actu voluntatis. (*Hic q. 3. art. 4. & 8. 3. c. g. c. 26. in 4. d. 49. q. 1. art. 1. q. 2. quoad 8. art. 19. & alibi. Prob. (Hic art. 4. cit. & 3. c. g. cit.)*) Beatitude formalis est essentialiter consecutio summi boni; atqui nullus actus voluntatis est consecutio summi boni: ergo. Prob. Min. 1. Actus voluntatis est vel desiderium, vel amor, vel fructus & gaudium; atqui nullus ex his actibus est consecutio ultimi finis, seu summi boni; non desiderium, quia desiderium est de bono absente, & nondum possessio; non amor,

tum quia amor abstrahit à praesentia & absentia, amamus enim bonum praesens & absens; tum quia amor viae & patriae sunt ejusdem speciei, amor autem viae non est consecutivus ultimi finis; non fructus seu gaudium, quia, cum fructus sit iunctura quies in bono possessio non facit possessionem, sed eam sequitur; voluntas enim fruitur bono, & delectatur de ipso ex eo, quod sit praesens, & illud possideat sive in re, sive in spe, sive in memoria; non autem è converso illud possidet, quia eo fruitur & in eo delectatur: sic avarus non assequitur divitias quia illis fruitur; sed è contra illis fruitur, quia illas possidet.

Prob. 2. prima Min. Voluntas est inclinatio in bonum; atqui inclinatio in bonum non est boni assecutiva; tum quia alias, ut obtineretur bonum, sufficeret illud velle, & hoc ipso quo avarus vellet divitias, illas haberet; tum quia connatus voluntatis in bonum est per se affectivus tantum, quatenus bonum terminat ejus affectum; est autem effectivus & possessivus per aliquid aliud, ita ut, si sit bonum sensibile, possideatur per sensum, v. gr. sonus per auditum, color per visum, sapor per gustum; si sit bonum naturale, per unionem naturalem, puta per contactum aut indistantiam localem, ut lapis in centro; si sit bonum intelligibile, per intellectum, sicut doctus dicitur possidere sapientiam intellectu: ergo.

Prob. 3. eadem 1. Min. Omnis actus voluntatis praesupponit actum intellectus, nihil enim volitum quin praecognitum, ut jam saepe dictum est: ergo omnis actus voluntatis supponit suum obiectum praesens & assecutum per cognitionem: ergo non est assecutivus. Haec conclusio magis adhuc confirmabitur ex sequenti. Unde

Dico 3. Beatitude formalis hominis consistit essentialiter in actu intellectus, clara scilicet Dei Visione. Haec conclusio sequitur ex praecedentibus: si enim beatitudo formalis sit essentialiter operatio partis intellectivae, & non sit operatio voluntatis: ergo intellectus. Sed & insuper prob. 1. ex Script. Joann. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum verum*. Ibid. c. 14. *Ostende nobis Patrem & sufficit nobis*. Ps. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Matth. 15. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. 1. Joann. 5. *Scimus quoniam cum apparerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Et alibi.

Prob. 2. ex Patribus. Iren. l. 4. contra Heres. c. 37. de vita aeterna dicit: *Quae unicuique evenit ex eo quod videt Deum... percipiunt ergo vitam, qui vident Deum*. Cyr. Alex. l. 3. contra Jul. *Homines felicitas est habere summam contemplationem* Aug. l. 83. quaest. q. 35. *Nemo beatam vitam novit, & miser est, quoniam, si amanda est, sicuti est, hoc est eam nosse, quod habere: quae cum ita sint, quid est aliud beatè vivere, nisi eternum aliquid cognoscendo habere... Omnium enim rerum praesentissimum est, quod aeternum est: & propterea id habere non possumus, nisi ea re qua praesentiores sumus, id est mente: quidquid autem mente habetur, noscendo habetur, nullumque bonum perfectè nascitur, quod non perfectè amatur*. Hic Aug. distinguit inter intellectum & voluntatem, inter cognoscere & amare. Ad intellectum refert consequi, dum dicit: *Hoc est nosse, quod habere*; Et, *quod beatè vivere sit aeternum aliquid cognoscendo habere*. Ad voluntatem autem refert amare, quod cognoscendo habetur & possidetur: ergo juxta Aug. Deus non voluntate, sed intellectu acquiritur & possidetur, siquae beatitudo formalis consistit essentialiter in actu intellectus, non voluntatis.

Scio, Adversarios respondere Scripturam & Patres non attingere hanc Questionem metaphysicam de quidditate beatitudinis, sed loqui de beatitudine quoad perfectionem & statum, prout communiter apprehenditur tanquam quid plene satiativum omnium potentiarum; ideoque eum indifferenter reponere modò in actu voluntatis, modò in actu intellectus, modò in utroque, quia uterque concurrat ad ejus perfectionem & statum: quid sit autem in ea essentialis, relinquere disputationi Theologorum. Et quantum ad Aug. qui videtur magis urgere, specialiter respondent, id, quod dixit q. 35. laudata, retractasse l. 1. Retract. c. 26. ubi dicit: *Illud, quod dixi, id esse amandum, quod nihil est aliud habere, quam nosse, non satis approbo: neque enim Deum non habeant, quibus dictum est: necitis, quae templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? Nec tamen eum noscant, vel non sicut noscendus est, noscant*. Sed contra: Non negamus, Scripturam & Patres quandoque loqui de beatitudine quoad statum, & hanc ipsam solutionem nos adhibemus contra ea, quae Adversarii nobis obijciunt ex Scriptura & Patribus; sed ultra quod locis à nobis citatis videantur assignare, quod praecipuum est & essentialis in beatitudine, saltem negari non potest, quin inter actus, quos recensent pertinentes ad beatitudinem, etiam explicent illum, in quo essentialiter consistit: alioquin diminutè admodum procederent, nec nos sufficienter instruerent, cum, cognito beatitudinis obiecto, quod nobis promittitur, nostrum referat nosse id, per quod possimus illud consequi, maxime cum possit errari circa illius consecutionem, sicut circa ipsum obiectum consequendum. Et sa-



nè mirum foret, Scripturam & Patres nobis descripsisse accuratè modos, & actus accidentales Beatitudinis formalis, & essentialis omisit. Hoc ergo supposito tanquam certo, expendamus modo, quos actus Scriptura & Patres assignant pertinentes ad beatitudinem formalem.

Quantum ad Scripturam: assignat ex parte intellectus visionem, ex parte voluntatis fruitionem & gaudium, nullibi & nusquam amorem amicitiae. Et hoc jam planare est adversus Scotum; is namque negat, & bene, fruitionem, seu gaudium esse beatitudinem essentialis; quia, inquit, & verè, fruitio seu gaudium supponit objectum praesens & consecutum: ergo Scotus, qui ponit beatitudinem essentialis in amore amicitiae, non habet fundamentum in Scriptura, imò cogitur juxta illam fati reponendam esse in visione. Sic enim arguo ex principio posito: Beatitudo formalis essentialiter consistit in aliquo actu ex his, quos Scriptura enumerat pertinentes ad beatitudinem, & enumerat dumtaxat ex parte intellectus visionem, ex parte voluntatis fruitionem & gaudium, seu delectationem, non amorem amicitiae; atque, fatente Scoto, non consistit in fruitio- & gaudio: ergo in visione.

Sed quidam Patres meminerunt amoris: Estio, sed neque illi, neque Scriptura ullum actum voluntatis, sive dicat amorem, sive fruitionem, & gaudium assignarunt ut formalem, & essentialis associationem finis ultimi; quia amor, fruitio, gaudium sunt quid commune felicitati ut sic: felicitas enim, hoc ipso quo felicitas est, implet voluntatem, causat amorem & gaudium, idque neminem latet, aut latuit unquam. Unde explicare beatitudinem per amorem, fruitionem, & gaudium, non est explicare propriam & specialem rationem hujus rei, in qua ponenda est assecutio summi boni, sed solum generalem conditionem felicitatis ut sic, quod sit satisfactiva voluntatis, amoris, & gaudii, quod nemo unquam negavit. Certissimum est ergo, Deo (si sit ultimus finis) esse fruendum & gaudendum; sed difficultas est, quomodo sit assequibilis, ut de eo sit fruitio & gaudium: idque potest esse occasio erroris apud negantes Deum esse beatitudinem nostram, qui modum assequibilitatis ejus non satis attingunt. Dicere autem, quod ipsa fruitio sit assecutio, est rem magis involvere, & difficiliorem reddere, cum Philosophi communiter doceant fruitionem supponere consecutum objectum: ergo Scriptura & Patres recentiores inter actus pertinentes ad beatitudinem formalem actum intellectus, seu clarum Dei visionem, ipsam assignant ut essentialis consecutionem Dei, consequenter ut beatitudinem formalem.

Ad Aug. R. ipsum dumtaxat retractasse, quod dixerat nimis generaliter, quod Deum habere est nosse; quia hoc verificari non potest de notitia Dei in hac vita, siquidem justis viatores habeant Deum, & tamen non noscunt, ut noscendus est, scilicet in se, & idè hæc propositio, ut nimis generalis indigebat explicacione: at non retractavit, quod dixerat loquendo de notitia habenda in altera vita, quod Beate vivere nihil aliud est, quam Deum cognoscendo habere, & quod non possumus habere ipsum nisi mente.

Prob. 3. ratione, ex eodem semper principio petita. Beatitudo formalis est essentialiter prima assecutio summi boni; atque hæc fit per actum intellectus, & non voluntatis: ergo Prob. Min. 1. Summum bonum est bonum intelligibile; atque bonum intelligibile acquiritur non appetendo, sed intelligendo, sicut sensibile sentiendo: ergo Prob. Min. Sicut natura intellectiva se habet ad bonum intelligibile, sic natura sensitiva ad bonum sensibile; atque natura sensitiva non assequitur, nec possidet bonum sensibile per appetitum, sed per sensum, ut sonum per auditum, saporem per gustum, &c. ergo natura intellectiva non assequitur bonum intelligibile per voluntatem, sed per intellectum. Prob. 2. prima Min. ex discrimine, quod est inter intellectum & voluntatem. Intellectus versatur circa suum objectum illud apprehendendo & atrahendo ad se, sicque faciendo illud sibi praesens, effectivè vel per species, vel immediatè in se, si sine speciebus cognoscatur, ut Deus. Voluntas & contra fertur in objectum extra se, & est tantum inclinatio & ponderatio in illud juxta dictum Aug. *Amor meus, pondus meum, eo feror quocumque feror*: ergo voluntatis est res quaerere, & in eis inventis quiescere, intellectus autem res apprehendere, acquirere, & possidere: idque experientia constat. Quantumvis enim conetur voluntas, nunquam per se consequitur bonum intelligibile, sed quamdiam non cognoscitur, dicitur absens, & voluntas inquieta manet: ubi autem mente percipitur, motus voluntatis quiescit.

Prob. 4. (*Hic q. 26. art. 2. & 3. c. gent. cit.*) Beatitudo formalis, cum sit ultima hominis perfectio & summi boni consecutio, debet esse actus praestantissime potentiae; atque intellectus est potentia praestantior & nobilior voluntate, tum quia respicit objectum abstractius & immaterialius, quam voluntas; tum quia est propinquior ipsi animæ, quam voluntas, cum hujus sit radix: ergo. Sed de hac ratione consule Physicam Thomisticam.

#### Solvuntur Objectiones contra 1. Conclusionem.

Obj. 1. Scriptura & Patres modò visioni, modò fruitioni, modò utriusque rationem Beatitudinis tribuunt. Visioni, patet ex dictis ultima conclusione. Fruitioni. Ps. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae: & torrente voluptatis potabis eos.* Math. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Jo. 16. *Gaudetis cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet a vobis, &c.* Utrique Ps. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Aug. 1. 1. de moribus Eccl. c. 3. *Beatus, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet, quod amat, nec qui non amat, quod habet.* Iren. 1. 4. c. 37. *Participatio Dei est, videre Deum & frui benignitate ejus.* His addit magnum pondus Benedictus XII. *Extravag. Benedictus Deus; ubi dicitur, animas justorum visione & fruitione Dei verè esse beatas.* Etiam manifestè & valdè favet Conc. Viennense in Clementina: *Dudum; ubi dicitur, Beatitudinem consistere in visione & fruitione.* Ita Platelius. Potuisset addere Catech. Romanum parte 2. ad illa verba Symboli, *vitam æternam*, ubi ait: *solida Beatitudo, quam essentialis communi nomine licet vocare, in eo posita est, ut cum videamus, ejusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis ac perfectionis fons & principium.*

R. Hæc omnia triplici solutione excipi. 1. Scriptura, Patres, Concilia, Pontifices, &c. locis cit. referunt operationes, quæ reipsa reperiuntur in Beatitudine; non autem explicant, quæ in illis sit essentialis & assecutiva ultimi finis: seu quod idem est, loquuntur de Beatitudine, non quidditative & metaphysicè sumpta, sed secundum statum & consummatam perfectionem, ad quam certum est concurrere actus intellectus & voluntatis. 2. Vel intelligunt, Beatitudinem formalem esse fruitionem & gaudium, non formaliter, sed radicaliter, quia ex visione Dei, quæ est Beatitudo essentialis nascitur fruitio & gaudium. 3. Vel sumunt fruitionem, non pro gaudio & delectatione consequente possessionem, sed pro ipsa possessione rei amate, ut satis communiter sumitur, juxta illud Aug. 1. 1. de moribus Eccl. c. 4. *Quid est aliud frui, quam prædè habere, quod diligis?* Unde te movere non debet, quod Cath. Romanus dicit Beatitudinem essentialis consistere in visione Dei & fruitione ejus pulchritudinis; vel eam intelligit fruitionem, non formaliter, sed radicaliter sumptam, vel sumptam pro ipsa possessione, vel per essentialis non intelligit quidditatem beatitudinis metaphysicè consideratam, sed integrum ejus substantiam, ad quam pertinet fruitio, quasi dixisset substantialis.

Inst. 5. Thom. q. seq. art. 8. ad 3. *Scit, quod dilectio charitatis sit essentialis beatitudinis quantum ad dilectionem Dei, non quantum ad dilectionem proximi: ergo. R. S. Thom. Io. qui de beatitudine perfecta & consummata, seu quoad statum, ad quem essentialiter requiritur dilectio Dei, non proximi: unde inquit S. Doctor: Si esset una sola anima fruentis Deo, beata esset, non habens proximum, quem diligeret.*

Obj. 2. Beatitudo formalis est summum bonum, summaque perfectio; atque plures operationes sunt meliores, quam una: ergo. R. D. Maj. Beatitudo formalis est summum bonum, ut quod & entitativè, N. Sic enim est ipse Deus; est summum bonum ut quo, hoc est, consecutio summi boni, C. Hæc autem fit per unam operationem intellectus, ut probatum est. Vel aliter D. Maj. Beatitudo formalis est summum bonum per se formaliter, N. Id enim pertinet ad statum beatitudinis, non ad ejus essentialis; est summum bonum radicaliter, C. In consecutione enim Dei per clarum ejus visionem continentur tantum in radice omnes perfectiones, quæ concurrunt ad consummationem & statum beatitudinis.

Inst. 1. Beatitudo formalis debet implere omnia justa desideria Beati; atque unica operatio non implet, desiderat enim ulterius alias operationes, ut amare Deum clarè visum, &c. ergo. R. D. Maj. ut ante: Beatitudo formalis debet implere omnia justa desideria Beati formaliter vel radicaliter, C. Maj. Formaliter, N. Maj. Alias sequeretur, quod ad beatitudinem essentialis requiretur glorificatio corporis, cum illa etiam desideret Beatus. Unde, distincta Min. ad seruum Maj. N. Conseq. Sufficit ergo beatitudinem essentialis, quod consequatur summum bonum, & quòd vi hujus consecutionis contineat radicaliter omnes alias perfectiones ad statum beatitudinis pertinentes, sicut essentialis hominis non debet formaliter continere & dare omnia, quæ pertinent ad hominem, sed radicaliter tantum ea præconferre; essentia enim est id, quod primum in re concipitur ut fons & radix ceterorum.

Inst. 2. cum Perfectorè Tourneley. Visio, amor fructivus, quo summo bono tanquam presentissimo voluntas adheret, & gaudium, quod est sensus intimus mentis creatæ, quo sibi ita conscia est se bene esse, ut nihil ultra expectat, hæc, inquam, tria ingrediuntur primario & essentialiter ideam beatitudinis formalis: ergo in eis consistit. R. D. Ant. Hæc tria ingrediuntur

tur primario & essentialiter ideam beatitudinis formalis consummatæ & quoad statum, C. Ant. Ideam beatitudinis metaphysicè & quoad essentialis sumptæ, N. Ant. Solutio patet ex jam dictis.

Inst. 3. cum eodem. Supponamus aliquem à Sanctis, S. v. gr. Petrum, Deum possidere in eo gradu, in quo eum de facto possidet, ita tamen ut sciret sibi entendum esse, ut ad altiore gradum ascendat, nisi Deo displicere velit. Hac facta hypothese, quæ ex natura rei non est impossibilis, sic arguuntor: Sanctus ille vitaliter possideret Deum, ut nunc possidet; atque tamen non esset beatus essentialiter, ut unusquisque sentire potest attendendo: idè autem non esset beatus, quia anima ejus non ita quiesceret in possessione Dei, ut nihil amplius haberet sibi expetendum: ergo. R. Data, & non concessa hæc hypothese sit possibili, N. Min. Esset enim iste Sanctus in hac hypothese essentialiter beatus, ejusque mens non minus quiesceret circa hunc altiore gradum obtinendum, quam circa imperceptibilem suam, inaccessibilem suæ beatitudinis, & corporis sui futuram glorificationem, quia certò sciret, vi possessionis Dei summi boni, desiderium istius gradus altioris esse implendum, sicut alia sua desideria. Omisi hypothese, quia non constat esse possibilem: nam possessio Dei in Patria juxta mensuram meritum vie est terminus & ultimus finis hominis: in hac hypothese foret adhuc terminus & ultimus finis hominis, ut supponitur, & non foret; quia ulterius deberet progredi, quod impliat.

Inst. 4. cum eodem. Formalis miseria non consistit solum in mali possessione, si ita loqui fas est, imò nec in dolore, sed insuper requirit tristitia ex mali possessione orta: unde Martyres, qui superabundabant gaudio in omni tribulatione, non erant verè miseri: ergo a contrario formaliter beati non sunt, qui de bono possessio non gaudent. R. D. Ant. Formalis miseria, complete sumpta & quoad statum, non consistit solum in mali possessione, C. Ant. Metaphysicè sumpta & quoad essentialis, N. Ant. Quoad id quod addit de Sanctis, verum est, ipsos non fuisse verè miseros in suis tribulationibus, quia tribulationes hujus mundi non sunt verum malum, nec vera miseria, sed sola damnatio, ex qua nata est sequi tristitia; quæ si miraculose impediatur, non obstat, quod damnatus sit verè miser essentialiter, licet non consummatur.

Inst. 5. Si amor fructivus, seu gaudium non esset de essentialis beatitudinis, sed tantum ejus proprietates, posset quis saltem de potentia Dei absoluta esse beatus sine amore Dei, Deo suspendendo concursus ad hunc amorem; possunt enim de potentia Dei absoluta proprietates separari ab essentia, ut calor ab igne; atque falsum & absurdum videtur Consequens: ergo. Respondent quidam negando sequelam: & ad probationem dicunt, quod, quamvis visio Dei, in vi præcisè, possit divinitus separari ab amore, quia sic tantum facit hominem videntem Deum; non tamen visio ut beatitudo est; quia sic essentialiter importat amorem fructivum, non ut partem essentiae, sed ut terminum essentialiter connotatum. Alii simpliciter concedunt amorem posse divinitus separari a visione beatifica; sed utrum tunc videns Deum deberet dici beatus, dissentiunt. Quidam opinantur dicendum, fore beatum simpliciter & essentialiter, non perfectè & consummatè, quia caret perfectione sibi debita. Et si inferas, ex hac parte fore miserum, respondent, non repugnare aliquem esse simpliciter felicem, & secundum quid miserum. Alii putant, hunc non dicendum fore simpliciter beatum, quamvis habeat id, quod essentialiter est beatitudo; quia hæc vox *Beatitudo* non est imposita ad significandam solam essentialis beatitudinis, sed ad significandam illam ut affectam suis proprietatibus conaturalibus, quia ex vi & impositione sua videtur significare bonum completum, appetitum satisfactum. Neque est novum, inquit, quod aliquid rei essentia subjecto insit, & tamen illud non denominet. Id autem accidit, quando ad denominationem requiritur aliquid aliud præter essentialis, puta quod insit secundum notabilem sui aut subjecti partem, vel aliquid simile: unde aqua, licet essentialis calor habeat, quando ipsi inest unum aut alter gradus calor, non tamen denominatur calida, quamdiam manent illi gradus remissi. Similiter hoc vocabulum *perfectum* non semper denominat suum subjectum simpliciter tale, quamvis illi adsint, quæ ad perfectionem essentialis requiruntur, non enim Puer aut Cecus vocari solet homo perfectus, licet perfectionem essentialis hominis habeat. Ità doctissimus Sylvius, qui videtur propendere in hanc sententiam, quam haurit ex Curiel, Tannero, Estio, & aliis. Ceterum nihil habet melius, quod respondeant, qui nobis hæc objiciunt. Etenim, si secundum nos amor fructivus sit tantum proprietates beatitudinis, & idè ab ea separabilis, secundum illos & alios, sarietas, pax, delectatio, securitas, perpetuitas, impeccabilitas, &c. sunt proprietates beatitudinis, & consequenter juxta argumentum, ab ea separabiles: quæro igitur, utrum qui videret & amaret Deum, esset beatus, si di-

vinis impediretur resultantia istarum proprietatum? Quam dabunt Responsum, nos ipsis eam reddemus.

Inst. 6. Beatitudo formalis consistit in perfectissima unione cum Deo; atque perfectior est illa unio, quæ fit per actus intellectus & voluntatis, quam quæ fit per actum solius intellectus: ergo. R. D. Maj. Beatitudo formalis consistit in perfectissima unione effectiva cum Deo, C. Maj. affectiva, N. Maj. Verum, quia istud argumentum militat etiam contra 2. & Conclusionem, accuratius discutietur infra. (*Hic q. 28. art. 1.*)

#### Solvuntur objectiones contra 2. & 3. Conclusionem.

Obj. 1. Auctoritates Patrum (De Scripturis enim jam dictum est) Aug. serm. 53. de Tempore, charitatem commendans: *Hæc, inquit, præmium summum est sanctorum in Cælo, quia perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto amore Dei.* 10. Conf. cap. 21. *Omnes ipsorum gaudium vitam æternam vocant.* Et cap. 12. *Hæc sola est vita æterna gaudere ad te, & de te.* Ansel. 1. 2. *Cur Deus homo, ait, creaturam rationalem a Deo factam esse justam, ut fruendo beata sit.* Chrysost. hom. 46. in Matth. *voluntas est, quæ remuneratur in bono.* ergo. R. Triplici solutione jam data ad 1. objectionem præcedentem. 1. SS. Patres locis laudatis non loqui de beatitudine metaphysicè considerata & quoad essentialis præcisè, sed de beatitudine perfecta & consummata, seu quoad statum. 2. Beatitudinem essentialis, quæ est visio Dei, posse dici fruitionem, gaudium, delectationem, non formaliter, sed causaliter & radicaliter; quia ex visione consecutiva summi boni nascuntur amor fructivus, gaudium, & delectatio. 3. Fruitionem non raro sumi pro ipsa possessione: & aliquo ex his sensibus optimè intelliguntur testimonia Patrum laudata. Sic, juxta August. Charitas est summum præmium sanctorum, vel quia consummat & complet beatitudinem essentialis, vel quia continetur radicaliter in visione, quæ est formaliter essentialiter summum præmium. *Nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto amore Dei;* quia amor est id, quo consummatur & decoratur beatitudo; non tamen id, in quo ejus essentia consistit: vel intelligi de perfecto Dei amore, non formaliter, sed causaliter, id est, de clara Dei visione, unde fluit perfectus amor, & sic de cæteris. Hanc autem esse mentem Aug. patet, non solum ex dictis in 2. probatione 3. conclusionis, sed ex ipso serm. 35. in objectionem laudato; ubi reddens rationem, cur Sancti nihil dulcius habeant perfecto amore Dei, ait: *Quem quia præsentem vident, sanctius diligunt, dulcius fruuntur ipso bono.* Non ergo ipsa dilectio apud Aug. est id, quo primo & essentialiter fit adeptio beatitudinis, sed id, quod ex tali adeptione consequitur. Similiter explicandi sunt alii Patres laudati.

Obj. 2. Beatitudo formalis essentialiter consistit in perfectissima unione & consecutione Dei, ut est ultimus finis; atque hujusmodi consecutio fit per amorem, & perfectius, quam per intellectum: ergo. Prob. Min. ex SS. Aug. & Thom. Aug. 8. de Trinit. c. 10. dicit: *quod amor est junctura quadam duo aliquid copulans, vel copulare appetens.* In expositione Ep. Jo. Tract. 2. *Si terram diligis, terra es; si Deum diligis, quid dicam? Deus eris.* Et Conf. c. 6. *benè quidam dixit suo amico, dimidium anime mee.* S. Thom. infra q. 28. art. 1. probat, quod proprius effectus amoris est unire amantem cum amato ex D. Dionysio c. 4. de Divin. nomin. ubi dicit, quod *amor est virtus unitiva.* Et ad 3. concludit, quod *amor est magis unitivus, quam cognitio, quia cognitio unis secundum similitudinem intentionalem, amor verò ad ipsam rem refertur.* Et in 4. d. 49. q. 1. art. 1. q. 2. ad 5. *quod per affectum homo perfectius conjungitur Deo, quam per intellectum.* Et hic q. 4. art. 3. ad 2. dicit, quod *ad voluntatem pertinet comprehensio & delectatio.*

Respondenti posset 1. Dato amorem esse per se consecutivum, non esse tamen consecutivum primario, sed supponere objectum jam consecutum per intellectum; amare enim Deum clarè visum supponit illum consecutum per visionem, consequenter non esse beatitudinem essentialis, quæ est prima assecutio ultimi finis, ad quem cætera sequuntur, sed addere tantum novum modum assequendi, & pertinere ad consummationem & perfectionem, seu statum beatitudinis. At veritas est, quod amor non sit per se formaliter assecutivus. Unde R. D. Min. Assecutio ultimi finis fit per amorem per se immediatè, N. mediatè per intellectum, C. Amor itaque, seu voluntas per amorem tendit, ponderat in bonum, quærit illud, dum est absens, movetque potentias ad illius assecutionem, & in assecuto quiescit; per se tamen illud non assequitur, sed secundum affectum tantum illi unitur, & per alias potentias assequitur quod generaliter verum est in omni appetitu tam innato, quam elicitò: sic lapis appetit centrum, non tamen per appetitum illud formaliter assequitur, sed per contactum: sic appetitus sensitivus concupiscit bonum sensibile, non tamen illud per se formaliter assequitur, sed per sensum, puta per tactum, visum,